



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

E.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

ficientem, nisi ipse excessus ipsis liberaliter concedatur. *art. 6.*

Monasterium potest petere compensationem dotis non solutæ tempore debito à parentibus professi, sed caueatur usura, *art. 7.*

Fraus de dote ex parte Nouitij iam professi, vt si verbi gratia promississet, Monasterium successurum ad suam hæreditatem, cum tamen antea renunciaffet legitimè, non dirimit professionem: efficit tamen, vt Monasterium non teneatur alere, sed potest à parentibus iuridicè petere alimenta, non manendo apud parentes, sed in Monasterio, cum sit verè Religiosus. *art. 8.*

ECCLESIA.

Vide Alteraria, Aedificia, Hereditas, Immunitas, Legatum.

AEDIFICIA.

Vide excommunicatio.

CAeteris paribus melius est, & Deo gratius fundare & ædificare Ecclesiam Collegiatam, Regularem, præsertim Mendicantium, quam secularem *10m. 2. q. 48. art. 2.*

Non

AEDIFICIA. 145

Non possunt hodie Mendicantes noua loca construere, nec constructa recipere, sine licentia Episcopi loci. *Ex Trid. sess. 25. de Regular. cap. 3.* Et hæc sufficit absque alia summi Pontificis auctoritate: *art. 3.*

Non possunt Frates Mutare Monasterium de loco in locum, sine Papæ licentia, ex *Bonifacij VIII. constitutione*, non mutata quoad hoc per *Concil. Trident. art. 4.*

Potest tamen Generalis Monasterium non amplius commodum dimittere in manibus Ordinarij ex *Sixto 3. V. dicti Generalis conscientiam super hoc onerante c. 1. q. 23. art. 6.*

Clemens IV. prohibuit Mendicantibus ædificare de nouo prope domum iam constructam Minorum, nisi intermediet spatium trecentarum canarum in aëre mensurandarum, vbi alias rectè mensurari loci dispositio non permittit. Et quamlibet istarum Canarum voluit octo palmorum longitudinem continere, non obstante varia locorum consuetudine. *art. 5.*

Innocentius

Innocens IV. statuta, vt infra dimidiam leucam à terminis possessionum Carthusiēsiū, nulli Religioso liceat construere ædificium, aut possessionem acquirere *ibidem.*

Urbanus IV., concessit Ordini Cisterciensi, vt nulla ædificia possint construi intra vnum milliare ab Abbatibus, & eiusdem Ordinis locis, sub pœna excommunicationis *art. 5.*

Leo X. speciali priuilegio concessit Minoribus, quòd adueniente necessitatis casu Ecclesiæ tam Fratrum Minorum, quàm Monialium Sanctæ Claræ, possint transferri & mutari de vno loco ad alium, & locus prioris Ecclesiæ reduci ad vsus humanos; dummodo materia ædificiorum ponatur in alia Ecclesia. *art. 6.*

Ecclesia sæcularis facilè auctoritate solius Episcopi potest fieri Regularis, sed sine præiudicio Clericorum siue beneficiatorum dictæ Ecclesiæ: ita vt alibi æquè prouisum sit iis, quia non potest summus Pontifex concedere priuilegium cum præiudicio magno tertij. *ibidem.*

Funda

EIECTIO. 143

Fundatori non referuanti sibi do-
minium Conuentus, & fundi Eccle-
siæ ædificatæ pro Fratibus, potest
Syndicus de consensu & voluntate
Ministri Prouincialis, & commu-
nitatis dare ius patronatus ipsius suc-
cessoribus, quia hæc donatio potius
cedit in vtilitatem Fratrum, ex qua
alij animantur ad construendum pro
Fratibus. *art. 7.*

EIECTIO A RELIGIONE
Vide Homicida, Professio.

Alexander VI. concessit Gene-
rali, & Prouinciali posse ex-
pellere spoliatos habitu incorrigi-
biles, ad quod Sanctus Bonauentu-
ra super regulam Minorum, *qu. 12.*
dicit tria requiri saltem in foro con-
scientiæ. Primum, quod Fratibus
& sæcularibus eorum delicta sint
notoria. Secundum, quod noceant
aliis suo malo exemplo. Tertium, vt
probetur incorrigibilitas. *tom. 1. qu. 30. art. 14.*

Incorrigibilitas iudicanda est,
quando sæpe correctus de crimine
pœnas non vult ferre, nec culpas
dimittere, vel ex pœnarum sæpius
iterata

iterata

iterata inflictione iudicio discretorum cognoscitur nō proficere. Hæc habent statuta Fratrum Prædicatorum, secundum quæ non potest expelli frater, quamdiu vult corrigi; apud Minores verò incorrigibilis dicitur, qui ter conuictus & punitus de crimine graui, vt est apostasia, non fuit correctus. Vnde quarta vice potest expelli. *ibid.*

Talis vt suprâ dicitur incorrigibilis de iure, sed potest quis incorrigibilis de facto iudicari, si in primo crimine sunt circumstantiæ grauissimæ. *art. 15.*

Prælati volentes eiicere insolentes, vtendo virtute concessionis *Pij V.* non tenentur sequi consilium Seniorum, bene autem virtute concessionis *Alexandri VI.* nisi fuerint Generales, qui per seipsos dumtaxat possunt eiicere. *art. 14. 15. 16. & 17.*

Possunt expellere ob homicidium, & peccatum Sodomium perfectè & sæpius perpetratum, sed non docet, si pœniteant, nec assuescant, nec tutum esset in conscientia, cum æquitas ibi desit, & misericordia
art. 18. & 19.

Con

Consuetudo fuit olim eiiciendi incorrigibiles cum habitu; & tales poterat, & tenebatur Superior recipere; sed *Alexander IV. Pius V.* & alij modò concesserunt posse tales sine habitu expelli, & totaliter seculares fieri; quo semel factò nunquam iure licet eiusmodi ad Ordinem recipere, sine Papæ mandato, nisi præscripta consuetudo ius contrarium in aliquo Ordine obtinuerit, qualis est in Minorum & Prædicatorum Ordinibus. *tom. 1. qu. 23. art. 4. & 5.*

Eiecti etiam iuridicè non liberantur ab obligatione votorum, & præceptorum; sed tantùm suspenditur obligatio quoad ea quæ extra Ordinem seruare non possunt. Vnde si redeant ad eandem Religionem non debent iterum profiteri: secus si ad aliam *art. 20. & 19.*

Innocent. IV. prohibuit vt Minores, quos Generalis vel Prouincialis ab Ordine eiecero, vel proprio motu egressi fuerint, non præsumant prædicare (cùm sint infames, seu confessiones) audire, nisi de licentia Sedis Apostolicæ, aut præ-

dictorum Ministrorum, ad aliū transferint Ordinem. Et quod si contra huiusmodi inhibitionem aliquis temerè fuerit attentatum, possunt dicti Ministri in illis excommunicationis sententiā promulgare. *ar. 21.*

Eiectus cum habitu nunquam potest per seipsum illum dimittere, nec vllus Papa inferior valet in hoc dispensare; ideo propria auctoritate illum temere relinquens, est excommunicatus, à qua tamen excommunicatione videtur liberari, si bona fide & sine scandalo assumat aliū Religionis in genere habitum. *art. 27.*

Eiectus sine habitu potest, debetque vti habitu Clericali Ordinis suo conuenienti sine vlla Papæ dispensatione. *ibid.*

Eiectus iustè de rigore iuris non tenetur redire: hinc vbi rogarit, vbi recipiatur, si non admittatur, potest tuta conscientia degere in sacculo. *art. 21.*

Eiecti; cum literis Testimonialibus Superioris eiicientis, possunt intrare quemcumque Ordinem, etiam laxiorem demptis Sancti Augustini

gustini

EIECTIO. 147

gustini hospitaliorum, & militari-
bus Ordinibus; sed sine illis literis
nullum possunt ingredi prorsus Or-
dinem, nec recipi absque licentia
speciali Sedis Apostolicæ. *Ex Inno-*
centio IV. art. 22.

Superior eiiciens nō potest obli-
gare eiectum, vt intra certum tem-
pus ingrediatur alium strictiorem
Ordinem, cū exutus non sit am-
plius eius subditus. *art. 22.*

Eiecti debent se statim subdere
Episcopo, aut originis, aut alicui
alteri, à quo possunt dispensari, si
indigeant dispensatione, modo non
sit Papæ reseruata; quin etiam po-
terunt ab eo ad Ordines promoueri
titulo beneficij (si habeant) aut pa-
trimonij. *art. 24. & 25.*

Eiecti cū remaneant incapa-
ces proprietatis, non possunt sibi
acquirere, nec Monasterio, à quo
sunt expulsi, cū desinant esse Re-
gulares; ergo nec dare, nec testari;
sed bona per eos acquisita sunt Ec-
clesiæ Regularis aut sæcularis cui
inseruiunt, Pontificis aut Episcopi.
art. 26.

Eiectus potest statim à Iudice
K 2 sæcu

ſæculari puniri, etiam pœna mortis, ut docet praxis communis, niſi ſit Clericus, in quem tunc nihil poteſt ſæcularis, niſi ei expreſſè tradatur. Iudicibus verò Regularibus ſuæ Religionis condemnati tantùm poteſt ad exilium, aut triremes, non ad mortem. *art. 28.*

ELECTIO.

Vide Episcopus, Abbatissa, Commissarius.

Electio eſt idoneę perſonę ad dignitatem, vel fraternam ſocietatem, ſeruata forma Canonica, facta vocatio: eſtque triplex. Prima, per modum ſcrutiniſ. Secunda, per modum compromiſſi. Tertia per modum communis inſpirationis. *2. q. 51. art. 1.*

Electio per ſcrutinium faciendę ſubſtantia trium ſeruatorum numerum exigit, niſi collegij exiguus numerus excuſet. *art. 2.*

Scrutinio præmittitur inſiurandum in Religionibus obedientia vota deinde ſecreto exquiruntur poſſuntque in negotiis grauiffimis teſtes adhiberi, quo res citra om-

nem

nem suspicionem fiat, *art. 3.*

In scrutinio danda sunt suffragia pura & certa, non sub conditione incerta, & ambigua, *art. 4.*

Concil. Trident. sess. 22. de reform. cap. 4. prohibens illum posse suffragari in electionibus, qui non est in sacris, non comprehendit Monachos, nec Mendicantes, sed tantum Canonicos Regulares, nec requirit aetatem 22. annorum, unde illi ante aetatem ordinati, nisi sint suspensi, poterunt habere vocem, *art. 5.*

Superiores Ordines Mendicantium possunt dispensare cum suis quoad electiones ex iusta causa. *ibidem.*

Iure communi prohibentur laici suffragari in electionibus Prælatorum: utrum in Religione Minorum consuetudo præscripta contrarium obtinuit; unde in quibusdam provinciis habent vocem in omnibus etiam passivam; in aliis autem nec activam in omnibus, sed tantum in receptione Novitiorum, *art. 5.*

Possunt electores legitime impediri

pediti aliquem mittere Procuratorem suo nomine suffragaturum, saltem cum iureiurando de impedimento legitimo. Nec hoc abolet *Concil. Trid. sess. 25. de Reg. c. 9. vt expressè declarauit Sacra Congregatio*, sed tantum abusum antiquum, quo solebant ipsi præsidentes talé v. g. N. substituere in locum N. v. g. absentis. *art. 6.*

Sixtus V. præcepit vt electiones Superiorum & Officialium in Ordine Minorum de Obseruãtia, per schedulas clausas fierent statim coram communitate comburendas, ad maiorem eligentium libertatem: alias irritat totum, quod non comprehendit Moniales, quæ debent sequi dictamen *Concil. Trident. citat. sess. cap. 7.* volentis vt Superior, quicumque sit, non ingrediatur Monasterium, sed recipiat vota Monialium ante cancellorum fenestellam, *art. 8.*

Electio potest coarctari ad certum genus personarum, v. g. ad solos Guardianos, vel certam nationem, v. g. Cismontanam, si tamen inter tales aliqui digni inuenian-

tur

ELECTIO. 151

tur, sed non ad certas personas 3.
aut 4. vocalium passiuorum, cum
id expressè sit contra libertatem &
sacros Canones, sine Papæ dispen-
satione, alia est irrita electio, &
Præsidentis id faciens in electione
Prouincialis secundum *Pium. V.* suo
officio priuatus existit, post senten-
tiam tamen Iudicis; in electione ve-
rò Guardiani non priuatur officio,
sed electio est nulla. *art. 10. & 11.*

Præsidentis quantæcumque sit au-
thoritatis non potest quempiam
priuare voce actiua aut passiuæ, nisi
seruato iuris ordine quoad substan-
tialia, si non citeretur, si non detur
illi locus se defendendi; nec quid-
quam faciunt literæ Apostolicæ:
nam si intelligendæ sunt, vt sub-
stantia iuris, & præsertim natura-
lis, seruetur. Nec valent censuræ ad
hoc latæ, sitque irrita electio. *arti-
culo. 12.*

Omnis professus statim atque e-
misit tria vota secundum Canones,
videtur habere vocem in electioni-
bus Prælatorum, quod conforme
est consuetudini antiquarum Reli-
gionum: & *Nauarrus* id securius

152 ELECTIO.
iudicat, nec noua consuetudo in
contrarium est bona, nisi sit legitime
præscripta. *art. 3.*

ELECTIO.
GENERALIUM.
ET
PROVINCIALIUM.

Electio in Ordine Minorum, Ge-
neralis assumendi ex vtraque fa-
milia alternatiua vice, fieri debet ab
omnibus vocalibus vtriusque fami-
liae *iuxta Papales Constitutiones*; nec
potest iam protendi ultra sexen-
nium, nisi fortè ad paucos menses,
sine Papæ dispensatione. *tom. 2. quæst.*
52. art. 2.

Generalis canonicè electus, eo
ipso quo pronunciat electus, pri-
uilegio Papali censetur cōfirmatus,
nec eget alia confirmatione; quod
& aliis Ordinibus iam concessum
est. *art. 3.*

Nicol. III prohibuit, ne Minores
possint mortuo Generali, eligere
Vicarium Ordinis, sine expressa Pa-
pæ licentia, sed iam contrarium ob-
tinuit

tinuit consuetudo, vt habetur in statutis Toletanis Ordinis *art. 4.*

Electio Prouincialis in Ordine Minorum videtur olim pertinuisse ad Capitulum generale, sed iam per *Clemen. V.* pertinet ad prouinciale, Quod si electores (vt habent *Statuta Toletana*) in varia placita diuisi, in vnus diei spatio non elegerint Præsidentis Capituli poterit secundum iuris communis dispositionem quem voluerit, secundum Deum eligere: idem est faciendum, si electores elegerint scienter indignum; si verò fuerit electio digni, prætermisso digniori, non debet irritari, bene autem indigni *art. 7.*

In prouincialem potest eligi omnis Frater idoneus, licet non sit de corpore Capituli, quod vsu receptum est in Ordine Minorum, non tamen alterius prouinciæ, nisi urgente necessitate cum consensu totius definitoris. *art. 7.*

Potest Pontifex facere vt secularis aliquis, & multò magis Frater alterius Ordinis, possit creari in Abbatem, qui erit caput & Prælatus Monasterij, licet id multum

dedebeat, vt colligitur ex *Trid. sess.*
25. de Reg. cap. 21. Cùm enim sit
 Rector Fratrum, ad perfectionē suā
 Regulæ decētissimum est, vt præeat
 exemplo, & experientia Regulam
 doceat. *art. 8. & 9.*

Legatus verisimiliūter dispensare
 potest, vt Frater vnus Religionis
 strictioris, aut saltem æquē strictæ,
 licet non laxioris Obseruantia, in
 alia Religione eligatur in Prala-
 tum. *art. 10.*

Qui fuit quondam Prouincialis,
 modo duæ interfuerint electiones,
 potest iterum eligi, licet non om-
 nino sit completum sexennium, ex
Greg. XIII. art. 12.

Prohibitio iuris ne fiat electio
 successoris ante completam defuncti
 sepulturam, non ligat Mendican-
 tes, ex *Clemen. IV.* præsertim quan-
 do occasiones vrgentes id postu-
 lant. *art. 13.*

Stante statuto ne Vicarius Con-
 uentus eligatur in discretū qui mit-
 tatur ad Capitulum prouinciale, Vi-
 sitator etiā cum plenitudine pote-
 statis iniuste dispensat cum eo, nisi
 adsit causa rationabilis. *art. 14.*

ELECTIO

*Guardianorum, & Priorum
Conuentualium.*

Licet iure cōmuni electio superioris Conuentualis spectet ad Conuentum, tamen in Ordine Minorum per statuta à Pontificibus approbata, Pertinet ad Definidores in Capitulo congregatos, per modum compromissi, quod *Naarrus* iudicat conuenientissimum, extra Capitulum verò taliū electio pertinet ad Definidores, vel ad Conuentum. *tom. 2. q. 53. art. 1.*

Guardianus electus, ex ipso censetur cōfirmatus ex *Clemen. IV.* quod iam omnibus aliis Conuentualibus est concessum. *art. 6.*

ELECTIO

Abbatissarum, & Priorissarum.

Electio Abbatissæ pertinet ad Conuentum, & debet fieri secundum formam. *Conc. Trid. sess. 25. de Reg. cap. 6. & 7. to. 2. q. 54. art. 1.*

Electa Monialis per scrutinium secundum *Concilium Tridentinum.*

fi

si sit canonicè electa id est, si habeat duas partes ex tribus, debet statim confirmari; non obstante contradictione tertiæ partis, sed non, si sit electa à maiore quidem parte nõ tamen explente duas partes ex tribus: tunc enim Prælatus ante confirmationem debet audire partem reclamantem, sine strepitu & figura iudicij, & ea audita confirmare aut irritare; illa autem sit electa antequam irritetur potest vti iurisdictione, modò res Monasterij non alienet nec vllam inter Moniales recipiat. *art. 7.*

Cùm additur in electione Monialis clausula, *De consensu mediæ partis Conuentus*, intelligitur, quòd consensus iste debeat exquiri ab omnibus Capitulariter congregatis, non enim aliter efficiunt corpus communitatis, à quo corpore debet fieri electio. *art. 2.*

ELECTI OBLIGATIO.

ad acceptandam Prælationem

Debitè electus, illicitè fugit, aut se abscondit sine speciali Spiritus Sancti instinctu, sed meritoriè bona intentione potest ac-

cepta

ceptare dicens: *Ecce ego, mitte me* vel humiliter sese excusare, nisi obedientia cogat, aut conscientia obinopiam alterius idonei stimulet, *iuxta sacros Canones. tom. 2. quest. 55. art. 1.*

Regularis Canonicè electus in Prælaturam extra Ordinem, eget voluntate Superioris ad consentiendum (nisi cõfirmetur à Legato Cardinali) tamen verisimiliter potest cogi Superior ad consentiendum, præsertim si bonum commune id poscat. *art. 2.*

Non potest Superior concedere licentiam pro electione futura, si fieri contingeret, vt in quadam *Clementina* determinatur, & tenet *Syluester. art. 2.*

Si Legatus Regulari conferat beneficium quodcumque sæculare, valet etiam sine consensu Superioris. Item si eligatur in Papam, quia, eo ipso efficitur omnium Superior & dominus. *tom. 2. q. 124. art. 3.*

ELIGI PRO CVRAN-

TIVM POENAE.

Regularis in electionibus, vel ante eas per sex menses subornans

nans

nans electorem mala subornatione, ipso facto excommunicatur, olim à summo Pontifice, hodie etiam à Generali, & eius Commissario, quando de illis non est subornatū, absoluendus, & priuatur voce actiua & passiuā. *to. 2. q. 56. ar. 1. ex Pio V. & Gregorio. XIII.*

Hæc excommunicatio est lata sententiæ, sed priuatio vocis non incurritur, nisi post sententiam Iudicis in foro conscientiæ, ex *Soto. ibidem.*

Subornatio est suasio, qua suadetur verum vel falsum, ob bonum vel malum finem; si in bonum, est bona; secus, si in malum. *ibid.*

Iisdem pœnis afficiuntur, & insuper priuatur omnibus officiis Ordinis recurrentes ad sæculares medicaturi fauores ad obtinenda officia, etiam si iurent in contrarium, & Fratres & sæculares, dummodo de malitia non constiterit, ex *Pio V. & Greg. XIII. art. 2.*

Non incurrit tamen has pœnas, qui has literas impetrauit, sed ad electorum manus non peruenerunt. Similiter nec ignorans has constitutiones

tutiones saltem in foro conscientię.
ibidem.

Moniales impetrantes similes fauores non incurrunt illas pœnas.
ibidem.

Gregorius XIII. & Clemens VIII. Generali, & aliis Prælati Ordinis Prædicatorum in virtute sanctæ obedientiæ inhibuerunt, ne gratiam, dignitatem, aut officium cuiuscumque Fratri conferant, aut pœnas ipsis debitas relaxent rogatu cuiuscumque sæcularis, etiam Imperatoris, & Cardinalis. *articulo 2.*

Si per personas extra Ordinem degentes fauores ad aliqua officia procurauerint, inhabilitant eos prædicti Põtifices ad illa, & maiora officia, nec possunt nisi à summo Pontifice rehabilitari. *ibid.*

Innocentius VIII. prohibuit sæcularibus, cuiuscumque status, dignitatis, & conditionis existant, sub excommunicatione incurrenda ipso facto, & priuatione beneficiorum, si habeant, quocumque modo se intromittere in electionibus Prælatorum Ordinis Sancti Hieronymi

mi; quod indultum tangit tantum
extraneos, non Fratres. *art. 3.*

E L E E M O S Y N A.

*Vide Fratres Minores, Paupertas,
Mendicitas.*

Monasteria tenentur præcepto
eleemosynæ quoad superflua
cùm Religionis scopus sit charitas,
vt docet *D. Thomas 2. 2. q. 32. art. 5.*
& *tom. 2. q. 57. art. 1.*

Monachus de his, quæ sibi ab
Abbate dantur, v. g. pro munere
Sacristæ, Organistæ, &c. & pro su-
stentatione, potest moderatas face-
re eleemosynas: sicut solent alij fa-
cere, nec contradicit *Conc. Trid. sess.*
25. de Regul. cap. 2. siue sit in itinere,
siue studeat extra Monasterium.
art. 2.

De bonis communitatis non
potest dare sine peccato, absque
expressa licentia, aut præsumpta
(quæ est,) quando talia commu-
niter dantur, Superiore sciente, &
tacente, & nisi in extrema ne-
cessitate, aut graui, Superiore ab-
sente, quia tunc præsumitur velle,
ibidem.

Regu

Regulares, ac etiam Militares, nō
possunt impendere reditus in alios
usus, quā in illos, in quos intendit
Regula quam sunt professi, aliās
peccant. *art. 5.*

Julius II. sub pœna excommu-
nicationis ipso facto incurrenda,
inhibuit Conuentualibus, & aliis
Mendicantibus, ne impediāt Fra-
tres Minores Obseruantes, quin li-
berè possint petere eleemosynam
temporibus & locis consuetis, &
mendicare aduentu & præuentu
aliorum minimè requisitis, aut ex-
pectatis. *art. 6.*

Concilium Tridentinum sess. 21. cap.
9. nullo modo voluit tollere usum
mendicationis Religiosorū, sed abu-
sum quorundam falsorum quæstua-
riorum, & baiulorum falsarum in-
dulgentiarum, lucri tantū gratia,
&c. *art. 7.*

Sixtus IV. subiecit Episcopos
suspensionī à Regimine, interdi-
cto ingressus Ecclesiæ, alios verò
inferiores excommunicationi, dis-
suadentes populo, ne eleemosy-
nas dent Fratribus Mendicantibus,
voluitque, contra tales vt Inquisi-

tor procederet, tanquam suspecto
de fide. *ibid.*

Bonifacius I X. concessit etiam
Prædicatoribus id ipsum quod con-
cessum est à suis prædecessoribus
circa eleemosynas petendas, & in-
super prohibuit, vt nullus illas pro-
hibeat in suis Ecclesiis celebrare
& oblationes in Missis, vel aliis
Altare ipsorum peruenientes reci-
pere, & conuertere in suos vsus, iux-
ta morem sui Ordinis, & quòd ipse
facto sine excommunicati omnes
contrafacientes, non absoluentur
nisi Sedi Apostolicæ personaliter
præsentent. *art. 8.*

EPISCOPVS.

*Vide. Absoluere, Apostasia, Exemptio,
Dispensatio, Prædicare, Obedien-
tia, Processio.*

Dubium est, an Regularis peccet desiderando Episcopatum
Negans opinio sanior est, cum statu
Episcopalis sit perfectior status
Religionis; debet tamen adesse re-
ctus finis, vnde secundum omnes
tenetur illum acceptare Superiori
mandante; etiam Iesuita, licet vobis
simpliciter

simplici renunciauerit iuri dignitatis secularis acceptandæ, ex *Paulo I I l. tom. 2. q. 58. art. 1. & 2.*

Nullus Regularis potest consentire, etiam de Superioris licentia, electioni de se in discordia facta, ad aliquam Prælaturam extra Ordinem suum, prout traditur in iure. Nec potest sine licentia Superioris Episcopatum acceptare, si offeratur, verum poterit consentire solus Prælatus, sine Capitulo, vel Conuentu. *art. 1.*

Monachus factus Episcopus solutus est à iugo Regulæ Monasticæ, quoad obedientiam, cum sit factus de filio pater, & quoad ea quæ repugnant dignitati & officio Episcopali, v. g. à ieiuniis, vigiliis, modo cantandi, silentio, & vt possit fieri compater; nullo autem modo quoad reliqua, videlicet quoad tria vota essentialia eo modo quo seruari potest, & quoad delationem habitus, licet propter dimissionem illius fortasse non excommunicetur. *art. 3.*

Episcopus factus extra Ordinem degens, non amplius gaudet priuilegiis Religiosorum, nisi de Prælatorum

L 2 torum

torum consensu. *Ex Sixto IV. art. 4.*

Quæ acquisiuit ante transitum ad Episcopatum, & tempore suæ promotionis, verbi gratia, habitus, libros, &c. tenetur totum Superiori Ordinis ante consecrationem resignare, sub pœna suspensionis ab officio Pontificali, ex *Clemente IV.* nisi forte Prælati usum huiusmodi rerum ad tempus concesserint, ex *Alexandro IV.* sed quæ postea acquisiuit, sunt Ecclesiæ, ut præest. *art. 6.*

Regularis Episcopus factus, etiam Minor, recuperat ius succedendi ad hæreditatem paternam, sed non testandi, cum non possit sibi acquirere, ob votum paupertatis, sed tantum Ecclesiæ, nisi Apostolica autoritate; quæ semel data, valeret etiam Papa mortuum, nam facultas testandi ad pia, non est odiosa, nec ad primas vices extingueretur, cum tam impetrans quam concedens testamentum intelligant de eo testamento, cum quo est decessurus impetrans. *art. 7. & tom. 3. quest. 69. articulo 5. & 6.*

Benè

Beneficiarius Regularis potest æquè disponere de bonis suorum beneficiorum, æquè sæculares, qui si dicantur in iure domini, intellige non de dominio libero, sed restricto ad dandum superflua pauperibus, cuius etiam dominij sunt capaces Regulares; *tom. 1. q. 58. art. 8.*

Superior Regularis habet eandem iurisdictionem in suos subditos quoad regimen, quàm Episcopus in suos ut simpliciter Episcopus; non autem ut Inquisitor fidei, aut delegatus Sedis Apostolicæ in certis casibus, ut de hæresi occulta, à qua non potest Superior Regularis absoluerè secluso omni priuilegio. *to. 1. quest. 20. art. 10. & 11.*

Regularis Curatus in Ecclesijs subiectis iurisdictioni sui Abbatis, subest tantum Episcopo quoad curam animarum, & sacramentorum administrationem, ex *Trid. sess. 25. de Reform. cap. 11.* Vbi tamen quosdam excipit, unde non tenentur respondere citationi, vel seruare excommunicationem ab ipso latam; quod intellige de exemptis & habetibus priuilegium. *to. 1. q. 36. ar. 4.*

Ex verbis *Concil. Trident. in decretis de obseru. & euit. in Missa*, videtur Episcopus posse compellere Regulares, vt diebus Dominicis in suis Ecclesiis annuncient populo festa & ieiunia hebdomadae. *tom. 1. quest. 43. art. 7.*

EREMITAE.

Eremitae sunt, & olim fuerunt. In triplici differentia: alij enim sunt Serbitae per mundum euntes; alij dicuntur Anachoritae seu solitarij; tertij dicuntur Cœnobitae in congregatione viuentes. Inter quos omnes illi qui profitentur vitam Religiosorum in Ordine viuendi approbato à Papa, aut ab Episcopo, habentes Superiorem nihil habere possunt proprium, & inter personas Ecclesiasticas numerantur, gaudētque priuilegio fori, ita vt ante Iudicem saecularem nequeant conueniri. Alij, qui tantum nominari possunt Pœnitentes, non fruuntur priuilegio fori, licet omnes sint iure approbati, sed subsunt iurisdictioni locali saeculari. *tom. 3. quest. 44. art. 4. & tom. 2. quest. 63. articulo 20.*

EVCHARISTIA.

Vide Communio.

EXCOMMUNICARE.

Superiores Ordinum exemptorū,
 Sunt proprii pastores Fratrum iure
 habentes in eos omnem iurisdictionem,
 quā exercere possunt ubique,
 id est, etiam extra Monasterium,
 cum non habeant territorium; intra
 quod limitetur eorum potestas; hinc
 ubique possunt sedere pro tribuna-
 li, quamvis honestius facient, si in
 suis locis suam auctoritatem exer-
 ceant *tom. 2. q. 59. art. 1.*

Possunt Prælati Ordinis Minorū
 ferre sententiam excommunicatio-
 nis, quando opus est, sine scriptis
 contra tenorem iuris, privilegio
Leonis. X.

Circa quod *Constitutiones Tole-
 tana* Fratrum Minorum statuunt,
 ne ferant sententiam excommu-
 nicationis sine scriptis, quando
 eam ferunt per modum statuti
 de cauendo aliquo peccato, aut
 actione suspecta, talis dicitur sen-
 tentia quæ fertur pro omnibus &

ad sēper, & censetur esse à iure) sed quando ferunt tantum per modum præcepti (quæ dicitur ab homine) possunt sine scriptis. *art. 3.*

Per constitutiones supradictas declaratur, non posse Guardianum excommunicare in tribus casibus, scilicet ad finem reuelationis in iudicio, pro deperditis aut substractis rebus, cum non habeat iurisdictionem quasi Episcopalem in his requisitam. *art. 4.*

Nullus Legatus (nisi de Latere Sedis Apostolicæ missus vel delegatus, aut subdelegatus, autoritate literarum Sedis præmissæ) potest excommunicare, suspendere, vel interdicere Regulares, nisi literæ ipsæ plenam & expressam faciant mentionem de indulto exemptionis; multò minùs id possunt Ordinarij. Quod item priuilegium habent Religiosi militares vt tales, & vt personæ singulares ipsarum militiarum professæ, non autem in quantum ciuitatum sunt Rectores, si perturbent Episcopalem iurisdictionem. *art. 5.*

Si priuilegium non sit Iudici notum,

EXCOMMVNICARE. 169

tum, neque priuilegiatus in longo libertatis tenore fuerit, tunc sententia excommunicationis contra eum lata tenet, nisi in priuilegio esset clausula irritans. Similiter, si allegat priuilegium non publicatum, neque Iudici notum, neque in longo libertatis tenore fuerit, & si Iudici petenti sibi ostēdit illud priuilegium, non vult ostendere, nec clausulam continentem suam libertatem, tenebit excommunicatio, si contra eum feratur. *art. 6.*

Noluit *Nicolaus V.* Fratres ligari aliqua censura excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, iuris vel hominis, nisi nominatim de ipsis Religiosis specialis fiat expressio, *art. 7.*

Duplex est excommunicatio, generalis, & specialis. Generalis rursus duplex, lata scilicet à iure, & lata ab homine. Lata à iure est, qua generaliter canon, constitutio aut statutum excommunicat eum qui illud, aut illud fecerit, aut non fecerit. Lata ab homine est, quam Iudex generaliter fert in illum, qui illud aut illud fecerit, aut non fecerit.

rit. Inter quas hoc est discriminis; quòd lata ab homine, moritur mortuo homine, vel ablato eo ab officio, quoad eos qui antè non incurrerunt; at lata à iure minimè. *to. 2. q. 60. art. 1.*

Multæ sunt censuræ & excommunicationes, quæ in sacris Canonibus, Regularibus imponuntur. Verùm multæ earū iam non ligant, quia per contrariam consuetudinem, aut non usum, aliisve modis sunt sublata. *art. 2.*

EPICHEIA.

EPicheia est æquitas, seu iustitia dulcore misericordiæ temperata, cuius officium, seu proprius actus est, in casibus specialibus discedere à verbis legis, seruata tamen eius intentione, pensatis omnibus circumstantiis. *tom. 2. q. 46. art. 2.*

Hæc virtus maximè necessaria est ad regimen Regularium, & tranquillitatem Religiosorum, qui aliquando literales tantum existentes maximis scrupulis succumbunt; ad cuius intelligentiam hæ Regule constituuntur.

¶ Inter

EPICHEIA. 171

1. Inter duram, & benignā interpretationem diuini præcepti, & humani in dubiis, cæteris paribus, benignior est semper sequenda.

2. Neque Deus, neque Ecclesia, suis præceptis nos obligare ad vix possibile, aut nimis difficile (quod moraliter & ciuilitè dicitur impossibile) intendit: aliàs iugum Christi non esset suaue.

3. Nec Deus, nec Ecclesia intendit suis præceptis obligare, sic quòd quis ea implendo, sit, vel appareat fatuus, aut quòd bona tollatur vrbanitas, aut conuictus honestus cum aliis hominibus, neque consulit, vt sic se habeat homo, vt aliis risui sit, saltem apud viros bonos & discretos. Nec cum graui scādalo aut damno præsertim spiritali, iudicio prudentum, quod in hac & priori regula debet attendi.

4. In dubiis vita sensusque communis virorum bonorum sumi debet in exemplum, & regulam viuendi.

5. In his quæ sunt mala quia prohibita, iure tantum humano excusat consuetudo præscripta, aut
legi

legitima, quia tollit legem, & est eius interpres.

6. In quolibet casu prætermittens facere quod lex imponit, excusari potest à peccato saltem mortali, quamvis non semper à veniali, si hoc facit bono animo virtute epicheiæ, sine contemptu, ratione alicuius periculi, necessitatis, seu circumstantiæ consideratæ; putans se non peccare mortaliter, paratus nullo modo facere, si putaret esse mortale. *Vide dispensatio quoad vota. art. 2.*

E X E M P L A R.

Deductum ex originali licet iure non valeat, nisi citata parte, cuius interest, saltem edicto generali: hoc tamen non habet locum apud Minores. Voluit enim *Leo X.* quòd transumptis quarumlibet literarum Apostolicarum Fratribus Minoribus Observantiæ concessarum manu Notarij publici subscriptis, sigillo alicuius Curie Ecclesiasticæ, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, vel extra, quæ ipsis

ori

EXEMPTIO. 173

originalibus haberetur. *tom. 1. q. 8. art. 17.*

Iudex potest procedere contra omnes sese opposcentes Fratibus Minoribus de Observantia, secundum rigorem alicuius clausulæ sibi exhibitæ, & à Notario fideliter extractæ ex mari magno, & aliis quibuscumque in posterum concedendis, ex *Leone X. ibidem.*

EXEMPTIO

quoad sæculares.

Vide Conueniri, Benefactores, Familiares, Tributum.

Personæ Ecclesiasticæ, & Religiosæ sunt iure diuino exemptæ à sæculari iurisdictione, sed bona eorum sunt exempta tantum iure humano, dictante tamen naturali ratione. *tom. 2. quest. 62. art. 2. & quest. 65. art. 2.*

Iudex sæcularis potest sequestrare triticum etiam Religiosorum tempore maximæ necessitatis communis, pretio taxato sibi dato, modò tamen eis relinquat ad sufficientiam, tam pro se quam pro suis,

suis,

fuis, authoritate iuris naturalis, & ciuilibus. *q. 62. art. 3.*

Monasterium litigans cum sæculari in causis temporalibus, debet ipsum laicum conuenire coram Iudice sæculari, & ipse laicus potest coram eodem Monasterium reconuenire, nisi ipse laicus sit erga Fratres sacrilegij reus, quia tunc est conueniendus coram Episcopo, *articulo 11.*

Potest Regularis conueniri coram Iudice sæculari pro litigio feudi (non in causa criminali) cum Monachus feudatarius etiam vassallus dicatur. *art. 10.*

E X E M P T I O.

quoad Episcopos.

Iure communi omnes tam Regulares quàm alij Clerici, Episcopis subsunt; vnde à priuilegio est exemptio, quo licet damnum aliquod videantur incurrere Episcopi, tamen abundè compensantur fructu multiplici inde ad suas oues nascente. *tom. 2. q. 63. art. 1. & 2.*

Hanc exemptionem sine dubio possunt facere summi Pontifices, & de

EXEMPTIO. 175

& de facto fecerunt, piis & graui-
bus de causis, *ibid.* & *art. 3.*

Exempti à iurisdictione Ordina-
riorum, & Legatorū intellige com-
munium: nam iuxta *Clement. IV.* à
Legatis à latere non sunt exempti,
sicque veniunt interpretanda pri-
uilegia concedentia Regularibus
exemptionem à Legatis Sedis Apo-
stolicæ. *art. 4.*

Moniales subiectæ Regularibus
Prælati authoritate Apostolica,
gaudent eadem exemptione, qua
Fratres. *art. 5.*

Exemptus non notoriè, citatus
tenetur comparere, & priuilegium
Episcopo roganti ostendere; cuius
tamen priuilegij interpretationem
dare non est Episcopi, sed solius
Pontificis, ex *Paulo III.* *art. 7.*

Regulares notoriè exempti, vt
sunt Mendicantes, citati ab Ordini-
nario vt compareant in iudicio,
non tenentur coram ipso compa-
rere, nec ostendere priuilegium,
nisi in citatione exprimaturs causa
quæ fundat iurisdictionem Ordini-
narij, vt tradit *Conarruuias articu-
lo 7.*

Si

Si exemptio fuit obtenta à Papa, & fit plena exemptio, non tenebuntur Regulares ad ius reuerentiale Episcopo; demptis tamen aliquibus casibus. *art. 9.*

Cùm per exemptionem Papa Regulares immediatè sibi subiiciat, non licet Regularibus sine eius licentia huic priuilegio renunciare. Vnde si ex negligentia patiantur se Ordinariis subiici, possunt se tueri ex iure quod competit Papæ, contra quem non præscribitur nisi 100. annis. *art. 10.*

Multi sunt casus, in quibus Regulares subsunt etiam Episcopis, secundùm pleraque iura, & præsertim secundum *Concil. Tridentin.* *art. 11.*

EXEMPTIO
quoad Superiores Ordinis.

Nullus inferior Papa potest assumere ad aliquod munus Regularium, etiam defectu alterius, absque expresso sui Superioris consensu, priuilegio *Greg. XIII.* factò Iesuitis, & *Leonis X.* Minoribus, qui tamen eximit Legatum à latere. *tom. 2. q. 64. art. 1.*

Ordinariorum est, & aliorum in dignitate constitutorum, quando à Prælati, aut aliis Fratribus Ordinis Minorum requiruntur, aut etiam à Romanæ Curie Commissariis, examinare quascunque literas Apostolicas, exemptiones alicui Regulari concessas, ex commissione *Iulij II. per Conc. Trid. confirmata. art. 2.*

Prælatus ex magna causa, v. g. pro autoritate Monasterij, aut Religionis, potest Fratrem Episcopo deputare socium, imò & Principi sæculari, aut Magnati. *art. 8.*

Licet obedientia debita Principibus possit præscribi, imò & quæ debetur Ecclesiasticis; Monachus tamen obedientiam suo Prælato promissam, nullo temporis spatio præscribere valet. *art. 3.*

Clemens I V. prohibuit, ne aliquis Frater Minor exēptus ab obedientia Ordinis possit contra statuta Religionis morari in domibus Fratrum dicti Ordinis, aut in eorum officiis se immiscere, vel intromittere. Idem constituit *Sixtus I V.* pro Carmelitis sub excommunicationis pœna ipso facto incurranda ab

M admif

178 EXEMPTIO.

admissis & admittentibus ad Capitula, Congregationes, & Ordines negotia, seu officia, nisi Generali pro tempore consensus interuenierit. *ibid.*

Nullus Regularis quocumque munere fungens, licet Regis alicuius Sedis Apostolicæ sit Capellanus, eximitur à sui Superioris obedientia, sed eius correctionibus in omnibus, & per omnia est subiectus. *art. 4.*

EXEMPTIO.

quoad tributa & exactiones.

Cum personæ, & bona Deo consecrata sint iure diuino exempta à sæculari iurisdictione, nullus sæcularis potest super eis imponere tributa, gabellas, angarias, &c. quod plurimi Pontifices confirmarunt etiam appositis censuris. Ergo Religiosi etiam possidentes, omnino exempti sunt ab oneribus eiusmodi (nisi de facto sæculares grauarentur) pro quo *Paulus IV.* amplissimum privilegium dedit Iesuitis, vt habetur in *Compendio eorum. tom. 2. quæst. 65.*

art. 2.

Regu

Regularis Mendicans, obtinens aliquod beneficium sæculare contra sui Ordinis statuta ex dispensatione Papæ (quod iusta de causa fieri præsumendum est,) non tenetur ad onera Ecclesiastica, aliis v.g. Canonicis, aut similiter Beneficiatis communia; licet multi oppositum teneant, volentes quoad hoc, illum priuari priuilegiis sui Ordinis. *art. 3.*

Fratres Sancti Ioannis de Malta etiam eximuntur per concessionem amplas præsertim *Sixti. V. art. 4.*

Fratres Tertiarij, & Sorores in propriis domibus habitantes, licet omnino videantur personæ Ecclesiasticæ; & per consequens immunes, tamen ex declaratione *Leo. X.* tenentur ad onera, & conueniendi sunt coram iudice sæculari: sed non collegialiter viuentes, & vota solemniter emittentes, seu cum claustribus habitantes, aut mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem vitam ducentes, ex eodem *Leone. X. articulo quinto.*

Sæcularis, licet Rex, imponens Regularibus talia tributa ipso facto

excommunicatur, nisi priuilegiū habita notitia, & monitus protinus destiterit à molestia inferenda; quòd si contumax post admonitionem perseueret, à solo Papa potest absolui, per multa priuilegia. *art. 6.*

Ex priuilegio concessa Congregationi montis Oliueti, debet Praelati Ecclesiastici Regulares in praedictis defendere censuris Ecclesiasticis, appellatione postposita, non obstantibus literis etiam Apostolicis non facientibus expressam mentionem de hoc indulto, ac de verbo ad verbum. *ibid.*

Episcopi imponentes Regularibus exactiones pro pontium reparatione, & aliis, casu, quo eas secundum sacros canones imponunt licite Ecclesiasticis, non frangunt immunitatem Ecclesiasticam: non enim fit contra eam, quando fit contra Regularium priuilegia, sed cum aliquid contra libertatem universalis Ecclesiae molitur, ut tradit Syluester. *ibidem.*

EXEMPTIO. 181

EXEMPTIO.

quoad charitativum subsidium.

Monasteria exempta, ad charitativum subsidium minimè sūt obligata. *to. 2. q. 166. art. 1.*

Monasteria exempta, si habeant Ecclesias, aut Capellas populum habētes sibi annexas, aut (si populū non habent) quæ sunt Ecclesiæ, & Capellæ sæculares, tenentur ratione illarum charitativum subsidium soluere, cū iure communi Capella, & Parochiæ subsint iurisdictioni Diocesanae. Quod tamē intelligendum est, quando ex privilegio proprio, aut consuetudine præscripta aliud non habetur. *art. 2.*

Mendicantes & Fratres Sancti Ioannis Hierosolymitani sunt exempti à cōtributione facienda pro Seminario puerorum, eorundemque sustentatione, ii que soli. Ex *Concil. Trid. sess. 23. de reform. ca. 18. art. 3.*

Quando ex fundatione res, vel privilegia data sunt Ecclesiis Regularibus intuitu pietatis, & necessitatis, debent apud eas manere,

Et 3 etiam si

etiamsi saeculares fiant, quando vero priuilegium, vel collecta, vel subuentiones imposita fuerunt propter strictiorem vitam, seu reformationem; tunc reformatione cessante non debentur dictae subuentiones.

art. 4.

Non debentur subuentiones Ecclesis Regularibus datae propter Religionem, si ipsae in statum saecularem redigantur. Similiter exemptio ab exactionibus ipsis concessa ex priuilegio deperditur, si talis exemptio intuitu Religionis fuit concessa. *ibid.*

EXHAEREDARI.

Probabilior est opinio secundum Iuris Pontificij interpretes, hereditatem Monacho relictam, immediate Monasterio acquiri, neque fore necessarium Monachi aditionem. *tom. 2. q. 77. art. 1.*

Communior sententia est, quod Monasterium possit adire inscio, & inuito Monacho, quia licet scripti haeredis nomen proprium non obtineat, legis tamen interpretatione habet quod idem operatur. *ibidem.*

Non potest exhæredari Monachus

chus à parte causa ingratitude
 commissæ ante professionem. Potest
 tamen Pater exhæredare filium ma-
 trimonium contrahentem absque
 eius consensu, etiamsi ante consum-
 mationem, Religionem profiteatur.
 Quod quidem locum habet, quando
 ingratitude, ob quam exhæredari
 debuit filius, continebat personam
 patris, velut si patrem ceciderit, non
 autem si directe respiciat solum fi-
 lium. *art. 2.*

Statutum continens quòd filia
 ingrediens Religionem non succe-
 dat patri, cum sit impeditiuum fu-
 turæ ingressionis, & sit contra li-
 bertatem Ecclesiæ, videtur inuali-
 dum iuxta *Sacros Canones. art. 1.*

Vtrum substitutio facta sub hac
 conditione, *si sine liberis decesserit*,
 censeatur evanuisse per ingressum
 Religionis, quæstio est; Si expressè
 apparet de mente testatoris voluis-
 se Monasterium excludere, non ad-
 mittitur Monasterium, sed substi-
 tutus; si verò non constat de men-
 te testatoris, voluisse scilicet illum
 Monasterium excludere, legis in-
 terpretatio tunc locum habet, &

huiusmodi conditio inualida est, & pro non scripta habenda. Quod tamen locum habet, ubi extraneus fuerit substitutus, secus si filius, nam filius cum substituitur, expellere censetur Monasterium. *art. 4.*

Per ingressum Religionis in ea infirmitate qua quis decedit, verius est, substituto non fieri prauidiciu, etsi aliter de fraude non constet, quia suspecta est adeo sera deuotio, quæ alteri damnum infert. *art. 5.*

Licet Monachus liber sit à patria potestate, cum transferit in potestatem Abbatis; nihilominus succedit ab intestato patri ut suus haeres. *art. 6.*

Duobus Monasteriis institutis, vno Monachorum, altero Monialium; Monasterium Monialium est praefendum, quia institutio pauperioris loci praualebit, ex sententia *Angeli*. Quod tamen regulariter intelligendum, nam si Monialiu esset ditissimum, Monachorum pauperimum, hoc videtur praefendum. *art. 7.*

Nouitio morienti intra annum probationis, non succedit ab intestato

stato Monasterium. *art. 8.*

EXPOSITVS.

Expositi cum legitimi censeantur, secundum opinionem doctissimorum virorum, non videntur indigere legitimatione, & dispensatione, ut ad sacros Ordines promouentur; nec etiam facti Regulares, ut ad prelationes admittantur. Cum tamen sit opinionum varietas circa hoc, consultius erit ad prelationes non admittere, nisi cum eis secundum terminos privilegiorum Regularium dispensetur. *tom. 1. q. 13. art. 1.*

EXLIVM.

Possunt Iudices Ecclesiastici Clericis imponere poenam exilij; quod ipsum concessum est etiam Iudicibus Regularium respectu Religiosorum delinquentium, cum eandem habeant, quantum ad puniendum, & corrigendum, potestatem, quam habent Episcopi circa suos Diocesanos *tom. 2. q. 23. art. 1.*

Sicut Episcopus, vel eius Vicarius mittens aliquem Clericum in exilium, iusta interueniente causa, potest ab eo reuocare; ita & Iudex Regularis

M 5 pote

186 FAMILIARES.

poterit iusta causa Religiosum in exilium missum, ab eo reuocare, nisi constitutiones Regulares aliud disponant. *ibidem.*

Monasterium, vbi Monachus exulans commisit delictum, debet præstare illi alimentum, si in aliud relegatur, & ibi detrudatur, aut si quid habet de suo prouideat ei de ipso, nisi fecerit professionem in Ordine capaci bonorum in communi, quia tunc Monasterium, ad quod peruenit hæreditas Monachi delinquentis, debet ipsum alere. In Ordine autem Fratrum Minorum propter summam paupertatem, ministrat necessaria ad Monasterium, ad quod mittitur, *art. 2.*

FAMILIARES.

Vide Interdictum.

L Argè familiares dicuntur, qui cohabitant cum aliquo. Familiares autem Fratrum sunt ij, qui ex autoritate Prælatorû, aut Officialium Conuentuum, toti communitati seruiunt, aut alicui Patri particulari; non sufficit autem quòd Fratribus particularibus seruiant, ex
eorum